

dum, & siccum, ex purissima siccitate terrestri cō-
 stans: quod elementum est metallorum, & cau &
 accidentalis, & non essentialis, ut argentum uiuū.
 matris enim est, corpus & materiam præbere: pa-
 tris, formam. Et hic est ille lapis chimistarum, non
 lapis, nec de natura lapidis (ut cum illis loquar) cu-
 ius caput & origo est in terra, & radices in aere
 pendent, id est ex influentia cœlesti, unde omnium
 metallorum capita in terra, et radices in aëre pen-
 dent. hæ sunt insuper illæ rosæ albæ & rubæ chi-
 mistarum in rosario, circa quas uersantur. In sum-
 ma, tota ars illa chimistica uersatur circa perfecti-
 onem & imperfectionē metallorum, & nititur na-
 turam imitari, quam tamen non potest in omnibus
 differentijs proprietatum actionis imitari: id quod
 tamē maximè facere nituntur chimistæ nostri, ridi-
 culi, mendaces, & fures, qui dum longissimè à sco-
 po, qui ab Arabibus præscriptus est, aberrant, neq;
 Græcorum uestigia sequuntur, sed nugis & decep-
 tionibus iuniorum credunt, meritò deridentur ab
 omnibus. & utinam omnes illi saponarij suspende-
 remur, qui artem χημεία πταδ prauant, & malè
 audire faciunt.

OMNIA metallica constant ex sulphure, pa-
 tre, & argento uiuo, matre.

Corpora mineralia specialiter diuiduntur in du-
 as partes, scilicet in maiora & media.